

I. N. I.

DISSERTATIO ACADEMICA

De

IMMUNITATE

RELIGIONIS

a COACTIONE,

Quam

*Consentiente Ampl. Senat. Phil. in Regia
Universitate Aboënsi,*

Et

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL

Rect. h. r. Magnifico, nec non Eloq.
Prof. Reg. & Ord.

*Placido bonorum examini modeste
submittit*

ARVIDUS PAULINUS Arv. Fil.

Tavastia-Fennus.

Die VII Decemb. A: MDCCXXXIV.
in Auditor. Max. horis conventis.

ABOÆ, Exc. Joh. Kiämpe, R. Ac. Typ.

S:æ R:æ M:t's
Magnæ Fidei VIRO
Reverendiss. in Christo Patri

**D^N. DANIELI
JUSLENIO,**

S. Theol. DOCTORI Celeberrimo,
Dioeceseos Borgoënsis EPISCOPO Eminentissimo,
Ven. Consistorii PRÆSIDI Gravissimo, Regii Gymnasii Scholarumq; EPHORO Vigilantissimo.
MÆCENATI SUMMO.

I*N. humillimi, & devotissimi, animi, testificationem, hasce, studiorum, Primitias, oculis, Tuis, Reverendissime Pater, omni, qua, par, est, submissione, sisto, obsecrans, digneris, easdem, benigne, suscipere, Sic, spero, me, quoq;, Clientum, Tuorum, in, numerum, admissum, iri, Tuiq;, favoris, participem futurum, Est, quod, cum, ardenti, voto, pro, perenni, Tua, nec, non, universæ, Nobilissimæ, Domus, Tuae, incolumitate, demisse, oro, contendoque,*

Reverendissimi, Nominis, Tui,
Devotissimus, cultor,
Arvidus, Paulinus.

S:æ R:æ Maj:ris
Magnæ Fidei VIRO
Generosissimo atque Nobilissimo Domino

**D^N. MARTINO
SEGERCRANTZ,**

Militiæ Equestris, quæ in Nylandia est,
MAJORI Strẽuissimo,
Affini meo Exoptatissimo.

Multa utique sunt beneficia, Nobilissime
Affinis, quibus me nullo non tempore am-
plecti voluisti, immo longe majora, quam qua
unquam exspectare potueram: quæ si omnia re-
pendere conarer, Saxum omnino Sisyphi volue-
rem, h. e. opera prorsus inani me detinerem.
Quamobrem, cum hæc jam invaluerit consue-
tudo, ut, de quibus optime sentimus, iis etiam
dicata esse, & eorum nominibus ornata publica
nostra scripta cupiamus; ita & ego tenuissi-
mos hos atque rudēs ingenii conatus, venera-
bunda Tibi offero mente, orans obtestansque,
solita eos benevolentia excipias, & ut cepisti,
me in posterum diligas, ames, foveas. Ego vero
Deum Omnipotentem atq; immortalem supplex
semper venerabor, Te, in Patria comòdū Tuorumq;
salus em, quam diutissime superstitem esse jubeat!

Nobilissimi Affinis.

Humillimus ac Devinctissimus servus
Arvidus Paulinus.

Maxime Reverendo atque Amplissimo VIRO
Dn. M. GEORG. HELSINGIO,
Ecclesiae Cathedralis Borg. Pastori Dignis-
simo, Diœceseos Archi-Præposito Gravissi-
mo, & Consist. Pro-Præsidi Adcuratissimo,
ut Mæcenati Certissimo, ita omni venera-
tionis cultu æternum prosequendo.
Nec non

Admodum Reverendis atque Præclarissimis Viris
Dnis. MAGISTRIS,
Regii Gymnasii Borg. Theol. & Phil. Le-
ctoribus Dextris, Consistorii Adfessori-
bus Æquissimis, Promotoribus meis
Optimis.

Vobis, Patrone & Promotores *Exopta-*
tissimi, Dissertationem hanc, cum calidis-
simis, pro perpetua felicitate Vestra, preci-
bus ac votis, ut par erat, sacratam esse
volui,
Nominum Vestrorum.

Clientis ac Cultor Obser-
vantissimus
Arvidus Paulinus.

Admodum Reverendo atque Præclarissimo
Dn. ARVIDO PAULINO,
Ecclesiarum, quæ Deo in Ithima colliguntur,
Pastori ac Præposito Dignissimo,

Parenti Optimo.

Libens confiteor, animum meum diu ancipiti
cogitationum cura fluctuasse, cum mán-
datum a Te Carissime Pater accepí, ut
specimen quoddam ederem Academicum, num
auderem virium facere periculum, nec ne.
At benigna Mæcenatum admonitione insuper
incitatus, rem penitus meam reputans, Ti-
bi Pater Exoptatissime, morem gerere decrevi.
Quare, si res parum successerit, id non te-
meritati meæ, sed justæ erga Te obedientiæ tri-
buendum erit. Suscipe igitur, Pater Indul-
gentissime, paterno adfectu, hilariq; Fronte,
munus omni ornatu destitutum. Accipe Opu-
sculum, quod Te Sublevante, nunc in lucem pro-
dit.

*dit. Adspice lubens, primitias curarum, ac
sumtuum, quos à pueritia, usq; ad præsens
tempus in me contuleras indef. esse. Et cum
vicem referre non valeam, Deum T. O.
M. indefinenter piis fatigabo precibus, velit
Tibi in senili ætate jam constituto, vires firmas
elementissime largiri, ut Ecclesiæ Christi diu in-
servire, nobisq; qui Tuo ulterius præsidio indige-
mus, opitulari queas!*

Optimi Parentis

Obedientissimus Filius

AV. PAULINUS

Viro Amplissimo ac Spectatissimo

Dn. ARVIDO CARLSTEDT.

Provinciarum, ad Helsingfors & Tavastehus, adjacentium *Questori* Adcuratissimo, Affini meo reverenter habendo,

Etiam si nulla prorsus *Tuae in me benevolentiae* exstarent documenta, humanitatis tamen oblitus viderer, si *Tui memoriam* negligerem, praecipue, quum affinitatis vinculo Tibi junctus sim. Sed praeterea, animi *Tui candorem* saepius exploravi, & plurima a Te accepti beneficia. His ergo lucubratiunculis, *Tuum nomen* volui praefigere, ut aliquod Signum, vel tesseram grati erga Te animi darem. Interea, ex tenerrimo cordis affectu Deum precari non desistam, Te, Domumque Tuam, omnigena felicitate semper beare dignetur!

Honratissimi Affinis

Additissimus Servus
A. PAULINUS.

Plurimum Reverendo atq; Doctissimo

Dn. PETRO PAULINO

*Vice Pastori in Ithima Vigilantissimo,
Fratri suo Dilectissimo,*

Viro Plurimum Reverendo atq; Doctissimo,

Dn. ARVIDO PAULINO

*Sacellano in Halicko Meritissimo,
Consanguineo multum honorando,*

Viro Perquam Reverendo atq; Doctissimo,

D. JOHANNI PLOGMANNO,

*Sacellano in Ithima Laudatissimo,
Affini meo propensissimo,*

Conamen hocce publicum, ob Conjunctissimam
languinis necessitudinem, nec non plurima
in se collata beneficia, cum omnigena prosperi-
tatis appreciatione, amantissimis nominibus
Vestris observanter offert, & dedicat.

Vestri

Deditissimus

A. P.

Pereximio & Præstantissimo. Dissertationis hujus Auctori & Defensori,

Dn. ARVIDO PAULINO,

Amico suo, ut dudum probato, ita plurimum dilecto.

R*eligionem a vi liberam Tu diligis unam,
Hanc unam, vera cum pietate colis.*

Gloria celsa Deo, pax orbi tuta manebit,

Nobis firma salus, dum manet illa bona.

Gratulor his ausis, faveat Tibi gratia cæli,

Æque labori Tuo præmia mille ferat.

*Paucula hæc honoris & amoris
ergo accinebat*

M. MARTINIUS

Design. Confist. Borg.

Notarius.

Conspectus.

- §. I. In intellectu & voluntate religioni se-
dem assignat.
- §. II. Intellectum & voluntatem, nullam ad-
mittere Coactionem, ostendit.
- §. III. Inae concludit, neq; religionem coactio-
ni obnoxiam esse,
- §. IV. Probat ulterius, quod Parentes non ha-
beant jus cogendi liberos ad amplectendum
hanc vel illam religionem.
- §. V. Contendit, neq; Imperium Civile gaude-
re potestate in ipsam religionem.
- §. VI. Doctrinam Christi à coactione alienam
fuisse, indicat.
- §. VII. Idem de vita & praxi Salvatoris
adstruit.
- §. VIII. Doctrinam Apostolorum pariter co-
actionis expertem fuisse dicit.
- §. IX. Idem de praxi eorum affirmat.
- §. X. Structuram Hierarchia Papistica examinat.
- §. XI. Jus clavium & excommunicationem
nullam religioni coactionem inferre asserit.
- §. XII. Innuit frustra disquiri de forma regi-
minis in Ecclesia.
- §. XIII. Jus Imperantium circa Sacra cum
libertate religionis conciliat.



§. I.

Per religionem intelligimus
notitiam de DEo, ejusq;
cultum. Et quod omnis
religio duabus illis parti-
bus essentialibus constituatur, sic
probabimus: Notitiam necessa-
riam esse inde constat, quia mens
humana nihil appetere & amare
nedum colere potest, nisi de quo
aliquid antea noverit, secundum
triturum illud: Ignoti nulla cupi-
do. Gentilium quidem religio in
certas doctrinarum formas adcura-
te non erat digesta, quippe quæ
superstitioso rituum & cæremo-
niarum apparatu, quæ maxi-
mam

mam partem abfolveretur; nihilominus etiam illa, dogmata quædam præfuppofuit. Sic Atheismus, ut religioni contrarius, omnibus fere gentibus erat exofus. Doctrinæ quoque Epicuræorum ideo male audiebant, quod negata providentia Divina religionem destruerent. Neque ullam facile monstrabis gentem, cui non aliquæ faltem de Diis opiniones, licet fabulis involutæ, propriæ & quafi domesticæ erant. Qui nostro tempore religionem naturalem diligentius perfcrutati funt, observarunt certas quædam veritates Methaphyficas dari, sine quibus locum habere nequit. Tales funt, quæ non folum existentiam & providentiam Dei, fed etiam ejus bonitatem ac juftitiam, libertatem arbitrii humani & animarum immortalitatem afferunt. His enim

enim labefactatis, religio etiã ipsa
collabesceret. Religionem reve-
latam & quidem præcipue Chri-
stianam comprehendere insuper
notitiam eorum, quæ sola ratione
innotescere nequeunt, illi, quo-
rum hoc est negotium, demon-
strant. Nec minus evidens est,
has de Deo notitias non adqui-
rendas esse solius speculationis
caussa. Intelligit namq; homo,
quod non à se ipso, sed ab omni-
um rerum Auctore originem ha-
beat. Percipit, conservationem
sui singulis momentis ab illo
pendere, & omnia bona, quæ
& animum & corpus adficiunt,
ab hoc fonte provenire. His ri-
te pensitatis, facile colligit, suum
esse officium, tot bonorum Lar-
gitorem amare, ejusque volun-
tati morem gerere. Animadver-
tit præterea, se nulla in re creata
plene adquiescere posse, quum

4
perfectionibus ubiqve imperfecti-
ones sint sociatæ. Unde con-
cludit, in Deo, ceu Ente pefectis-
simo delectationem puram, &
pro ratione capacitatis suæ o-
mnibus numeris absolutam esse
qvarendam. Et qvemadmodum
signis externis reverentiam aliis
ideo testamur, qvia hi animi
nostri sensa aliter perspiciere ne-
queunt; ita pronum est conclu-
dere, illa in cultu Divino absolu-
te necessaria non esse, qvum
Deus intima pectoris humani
perscrutetur. Fit tamen plerum-
que, ut vehementiores animo-
rum motus ore & gestibus se
prodant. Sic etiam intensior in
Deum adfectus externo indicio
se recte explicare potest; qvò
eo magis probandum, qvia alii
hoc modo ad pietatem nonnun-
quam incitantur. Prout igitur
sedem habet religio in ipsa men-
te

te humana ; ita nec alia eidem
tribuere convenit, quam quæ fa-
cultates istius admittunt.

§. II.

COactio nobis hic est, ubi quis
metu imminentis mali ad id
agendum vel omittendum adigi-
tur, quod isto remoto, non age-
ret vel omitteret. Sic Ergodiocta
præfente, & verbera intentante
gnaviter laborat servus, qui sibi
relictus, complicatis in sinum
manibus sederet. Idem Domino
præfente abstinet manus a re e-
jus, quam eodem abeunte furto
subducit. Et ne in quæstiones
implicatas, atque ab instituto
nostro alienas delabamur, statim
veniamus ad hoc, in quo ipse
rei cardo vertitur. quærendo ni-
mirum, an intellectus humanus
vi aliqua externa cogi possit, ut
pro vero habeat, quod si illa ab-
esset

6
esset, falsum reputaret & contra; et an voluntas, tali quoque modo compelli queat, ut amet & appetat, quod alioquin odio haberet, ac vice versa? Supervacaneæ hic sunt prolixæ demonstrationes. Sua quemlibet experientia fortissime convincit, quid de allatis quæstionibus statuendum sit. Propone mille tormenta & cruciatus, nunquam tamen efficies, ut alter sibi persuadeat, circulum esse triangulum & triangulum quadratum. Eodem modo se res habet cum veritatibus contingentibus. Quis ulla violentia præstaret, ut alter in animum sibi induceret solem non existere, ubi illum oculis intuetur, & calorem eius persentiscit? Nec est, quod de voluntate aliter sentiamus. Hæc iudicium intellectus sequitur. Quod ille bonum esse percipit, id hæc amat & sectatur.

Quod

Quod malum æstimat, ab eo abhorret. Nulla coactione aliquem adducere poteris, ut morbos, exilia & paupertatem exoptet. Frustra etiam virgas explicabis, ubi alterum in amorem tui pertrahere cupis.

§. III.

REgrediamur jam ad religionem. Illam in intellectu & voluntate §. I. collocavimus. Quæ proxime præcedente §. adduximus, ad eandem facile applicantur. Ad hanc enim supplicia & cruciatus nihil valent, quin obfirmant potius animum quam convincunt. Corpora quidem de loco in locum dimoveri possunt, sed animis invitis nulla vis inferri potest. *Nam penitissima agnitio veritatis, non nisi e rationibus, mentis assensum elicere aptis, nascitur, ex qua ad venerationem Numinis fit progressus. Et mysteria religionis*
Christi

Christiane supra captum humane rationis posita, ut mentem convincant, gratia Divina opus habent, qua violentis mediis haud quidquam conciliatur; ut recte omnino argumentatur Puffendorffius de Habitu Relig. Christianæ ad vit. Civ §. 3. p. 12. Et paulo ante eadem pag. Si quis inquit me utique in suas partes trahere velit, idoneis rationibus demonstrandum est, me in errore versari, penes ipsum veritatem stare. Nam veritatis indoles est, ut intrinseca vi animis hominum influat, modo de re ostendatur, quem fructum eadem producere apta sit. Ergo iis artibus, ac mediis, quibus imperia Civilia subjectos ad obedientiam adstringunt, nihil efficitur in religionis negotio, Ad simulationem fortasse coguntur homines, minime vero ad fidem. Quare abstinendum utique tutius est ab ejuscemodi coactione,

ne, quam nolenti id obtrudere velle, quod nunquam adpetet sincere. Nec spernenda est hæc regula: *Qui facit invitus, quod facere debet, aliter quam debet facit, & ita non facit.* Hoc verum est, in judicio conscientia inquit Joh. Brunnemannus in prælect. suis publicis ad regulas juris Canonici Reg. 8. p. 10. quod opera bona ex timore servili profecta premium non mereantur. Item: non satis est velle, sed etiam bene facere; nec sufficit bene facere; nisi id ex bona voluntate procedat. Interim tamen confiteamur necesse est, coactionem id interdum efficere posse, ut ejuscemodi formulæ (quas quis animo non probat) invite recipiantur, ore proferantur, atque etiam externis quibusdam gestibus observentur; sed quæ omnia ipse animus rejicit atque detestatur. Verum

rum, cum externus gestus, à quo animi sententia discrepat, nihil minus sit quam religio, non video, cui fini ejusmodi coactio suscipiatur. Huc iterum quadrant verba Puffend. pag. 12. jam citata: *Ut dem sine mente sonum, ut gestum aliquem exprimam, aut ut sensa animi mei dissimulem, & verba ab hisce discrepantia proferam, vi cogi possum, ut credam, cogi non possum.*

§. IV.

QUamquam autem ad religionem amplectendum neminem cogendum esse, probatum iverimus; tamen negare non sustinemus, quin ex jure Parentum in liberos aliqua coërcitio, Parentibus circa institutionem eorum occupatis, tribui possit. Nam his cura incumbit, circa formandos liberorum animos. Id etiam officium inter alia potissimum est paren-

parentum, ut in tenera ætate, dum iudicium perfectum seu *πρόαισθησις* ut Grotius loquitur, vis electrix abest, filios imbuant religione, quam ipsi veram esse credunt. Alius quippe naturaliter inveniri non potest, cui hoc officium propius conveniat. *Seruum nimis esse*, ait Puffendorffius de Hab. Relig. *liberos suo velut instinctui relinquere, quoad propria per ratiocinia officium erga Deum e-ruerint. Multo minus consultum esse, peculiare ipsos revelationes captare velle, in super habita vera doctrina de Deo, que jam extat. Hinc sequitur cultum Dei, primas tenere in educandis liberis. Hoc enim fundamento jacto, facile per se patet, quænam officia sint, quæ Deo, nobis ipsis, & aliis debeamus. Ideoque, quicumque Numen non superfundarie colunt, illi circa humana officia optimi extiterunt,*

runt, ceu loquitur Lucianus de Imaginibus, referente hoc Puffend. de jure Nat. & Gent. Lib. II. C. IV. §. 3. Verum hæc institutio paterna coactionis nomine proprie venire non potest, nec debet: quatenus, nempe non violentia, sed mansuetudine ad religionem & officium liberi sunt deducendi; hoc est, ut vult Puffend. *non nim illis intentando, sed docendo, hortando, obsecrando, iram Dei denunciando.* Unde nec opus est, ut parentes violento modo, eam religionem, quam ipsi tenent, liberis suis impingant, aut per alia media, quam quæ divinitus præscripta sunt, & genio religionis congrua, his obtudant. Sic Abrahamus, ille credentium Pater, Filiis suis non imperio injungebat religionem, sed commendabat viam Domini, divinis revelationibus designa,
tam

tam & confirmatam, Gen. XVIII.
 19. Ubi autem maturuerint li-
 beri, & veritatem religionis ipsi
 examinare didicerint, parentes
 multo minus exigere possunt, ut
 dogmata & cultum a se tradi-
 tum, contra dictamen conscien-
 tiæ retineant. Nam omnis a-
 ctio spontanea (qualis est reli-
 gio) quæ fit contra conscientiam,
 & rursus omnis ommissio a-
 ctionis, quam eadem necessari-
 am dicitur est peccatum; et
 quidem eo gravius, quo liqui-
 dius officium suum quis intelli-
 git, & tamen nihil minus, quam
 ei satisfacere laborat. Grotius de
 jure belli & pacis L. II. cap. V. §. 3.
*adfirmat, in secundo tempore, cum
 jam maturuit iudicium ætate, sub-
 esse, parentum imperiis, non alias
 actiones quam quæ ad familiæ pa-
 ternæ aut maternæ statum aliquid
 momenti habent. Religio autem
 justi*

justi & æqui observans huc non pertinet; ergo nec imperio parentum subesse potest.

Quod si autem liberi religionis obtentu Parentibus justum denegare obsequium non erubuerint, ista vero temeritas digna est, quæ non tantum castigatione paterna, sed pœnis etiam civilibus excipiatur.

§. V.

Neqve imperio civili competit jus cogendi ad religionem aliquam recipiendam & exercendam. Nam regulis istis seu dogmatibus, quæ religionem constituunt, ab imperio civili nihil efficaciam accedere potest, nec eorum indoles fert, ut coactione violenta aut pœnis civilibus sanciantur; cum voluntatem Dei non impleat, qui ob metum pœnæ eam signis externis profectur. Præterea ipsa experientia

tia

tia docet, vix ullam religionem,
 præcipue vero neutiqvam Chri-
 stianam, auctoritatem suam ab
 imperio civili mutuari, quæ et-
 iam hoc fremente & renitente
 divinitus introducta fuit. Dixi-
 mus quoque §. III. impossibilem
 esse ejusmodi coactionem, quæ
 ob religionem intentatur. Et ut
 jus impossibilitatem pro objecto
 habere nequit, ita nec imperium
 civile quemqvam ad eas actiones
 adigere potest, quæ impossibili-
 tatem quandam important. Ta-
 les enim sunt omnes actiones in-
 ternæ, de quibus nec imperium
 civile, nec ipsa Ecclesia judicare
 potest, quamdiu internæ manent;
 sed harum ratio soli Deo red-
 denda est, quemadmodum A-
 post. Paulus dicit: ἕκαστος ἡμῶν
 πρὸς ἑαυτὴν λόγον δώσει τῷ Θεῷ Rom.
 XIV. 12. Idcirco actus interni,
 ut bene observat Puffend. de, Ha-
 bitu

bitu Relig. §. 7. *quantum in exte-
riores actus non erumpunt, a poena
humana sunt immunes. Et qui actus
in motu animi interno per intrinse-
cum impulsum eliciendo consistunt, co-
actionem externam adspiciuntur. Ce-
terum, quod externos actus atti-
net, horum non alii imperanti-
um arbitrio deferendi sunt, quam
qui ad internam religionis con-
stitutionem indifferenter se ha-
bent. Externa quippe saepe numero
tam arcto nexu internis juncta sunt,
ut si de istis aliter disponatur, quam
nexus iste requirit, interna quoque
non possent non alterari & conuelli.*
Puffend. pag. 199. Ergo nec ex-
ternæ actiones, quatenus cum in-
ternis indivulso nexu junguntur,
ex arbitrio imperantium depen-
dent. Et hoc sufficere posset pro
sententia nostra adstruenda: sed
ulterioris illustrationis causa ad-
damus alia, ex ipsa imperii ci-
vilis

vilis natura desumpta. Imperium
 civile pro fine habet securitatem
 hominum & felicitatem in hac
 vita, ad quem ceu normam ejus
 examinanda sunt jura. Cetera o-
 mnia, quæ ad securitatem & a-
 u-
tuæ hanc non spectant, ab im-
 perio civili sunt exempta. Atq; ho-
 mines stulte admodum & insipien-
 ter fecissent, si libertate naturali
 abjecta, omne jus suum in sum-
 mos imperantes transtulissent.
 Jam vero religio primario ad fu-
 turum seculum se extendit, & ad
 æternam nostram salutem colli-
 mat; ad quam obtinendam, non
 imperio aliquo, verum gratia
 divina opus est, quæ non vio-
 lentia, sed placide sese animis ho-
 minum insinuare solet. Ergo &
 inde concluditur, religionem
 Imperio civili non esse subjectam.
 Quare absurdum juxta & horren-
 dum est illud Hobbesii dogma,

18
quo omnem religionem imperantium arbitrio committit. Ea namque ratione haud majorem vim, auctoritatemque religioni adscribit, atque statuto alicui positivo, quod pro lubitu suo imperans civibus imponit, abrogatque. Hobbesiana hæc doctrina eum quidem in finem argute excogitata erat, ut summis imperantibus infinitam assereret potestatem. Hæc enim quos limites haberet, quum sola eorum voluntas & religionis principium, & justitiæ regula esset? Verum ubi Principum potestatem in immensum protendere conatur, ejus fundamentum subvertit. Nam, si omne jus & fas poneretur in uno principis arbitrio, nexus inter illum & cives quo vinculo contineretur? Et quæ reddi posset ratio, cur hi in perpetua subjectione manerent? Dicat forte:

Quia

Quia sic voluit Princeps, Rege-
rit alter: Mihi aliter placet. Vi-
deo occasionem recuperandi li-
bertatem, excutiam jugum. Hic
hæret aqua. Verum religione
supra imperium Civile constitu-
ta, quilibet intelligit, illi obse-
quium esse præstandum, quia
Deus id jussit, cujus potentia
nemo mortalium resistere potest.

§. VI.

JAM ad ipsam religionem Chri-
stianam progrediamur. Fun-
damenti loco substerni possunt,
quæ ante dicta sunt de religione
in universum considerata. Nul-
la enim causa adferri potest,
cur idem circa religionem Chri-
stianam non valeat. Nam quæ
ad essentiam religionis pertinent,
hæc adeo non tollit, ut perte-
ctissimum eorum exemplar exhi-
beat. Insuper, operæ pretium est

historiam consulere, num externa vis adhibita fuerit circa plantationem religionis Christianæ, ejusdemque propagationem. Auctor hujus religionis est ipse Christus, in secula benedictus, cujus & doctrinam & vitam, in quantum institutum exigit, considerabimus. Munus docendi a Salvatore exercitum, ab imperio & potestate Legislatoria alienissimum erat. Patet hoc ad oculum, ubi ad ipsa capita dogmatum à Christo traditorum attendimus. Indicavit autem se esse verum illum Messiam, mundo olim promissum, ad quem omnes Prophetiæ, immo tota veteris testamenti œconomia respexit. Atque hoc tam testimoniis, è Scriptura Sacra depromptis, quam variis miraculis comprobavit. Divinum erga genus humanum favorem explicuit. Prænuucia-

vit mortem suam expiatoriam, qua salus omnibus hominibus ad-
 quireretur. Legem à corruptelis Pharisæorum vindicavit; novum
 autem jus non condidit. Amorem erga Deum & mutuam di-
 lectionem ceu complementum Legis commendavit. Totus et-
 iam in hoc erat occupatus, ut falsas Judæorum persuasiones, de
 regno Messiae terreno ex animis hominum, & præcipue Discipu-
 lorum evelleret. Suis enim se-
 ctatoribus, non honores, impe-
 ria, regna, sed contumelias, af-
 flictiones, & ipsum mortis sup-
 plicium impendere prædixit. Si
 modum adspiciamus, quo hæ
 doctrinæ proponebantur, appa-
 rebit, quod etiam hic illarum
 genio fuerit accommodatus, h.
 e. mitis & gratia plenus. Expo-
 suit quidem Salvator mala, Ev-
 angelii contemtores exceptura,
 sed

sed eodem adfectu, quo pater filio immorigero calamitatis instantis commonetacit, Mathæus Cap. VII. v. 29. commemorat, quod docuerit *αἰς ἐξουσίαν ἔχων*. Id vero non accipiendum est, de potestate aliqua civili & dictatoria, sed spiritali, quæ in eo consistebat, quod Divina doctrinæ suæ virtute, ad ipsos animorum recessus penetraret, quum Pharisei auditorum aures fabulis tantum ac traditionum commentis implerent. Neque obstant verba Christi apud Lucam C. XIV. 23. *ἀνάγκασον εἰσελθεῖν*. Iubentur hic invitatores h. e. Apostoli & Evangelii ministri compellere convivas intrare. Verum iste compellendi actus seu *ἀναγκασμός* non est politicus, sed ecclesiasticus, h. e. non fit externa vi atque coactione, Sed seria rogatione & obsecratione. Puffend.

fend de hab. relig. Christianæ p.
 53. §. 20. describit hunc actum,
per necessitatem, quam attulerunt
invitatores, sed non talem, que vi
metuque constat, aut qua obtoro col-
lo homines rapiuntur, sed qualis in-
ditationi ad convivium quadrat, ro-
gandi, hortando, maiestatem convi-
vatoris, Convivii illecebras ostentan-
do. Ita Paulus quoque utitur
 verbo ἀναγκάζειν Gal. II. 14. di-
 cens: Petrum coëgisse gentes
 judaizare, quod utique non ar-
 guit eum violentæ alicujus co-
 actionis.

§. VII.

Quemadmodum in doctrina
 Christi nihil reperimus,
 quod coactionis speciem præbe-
 ret, ita neque ex vita ipsius &
 actionibus tale quid imergit.
 Nam cum ipsi nihil magis curæ
 cordique esset, quam Christianæ
 reli-

24
 religionis propagatio, etiam mi-
 racula edere voluit, ut vi illorum
 eo citius tam longe lateque (u-
 ti jam per Dei gratiam factum
 esse comperimus) eadem propa-
 garetur. Sane per miracula ceu
 docet Puffend. de hab. relig.
 Christianæ p. 36. §. 13. *ipse fidem
 sibi auctoritatemque adstruxit, sed
 que non terrorem aliis inuterent, aut
 ulli noxam inferrent. Quin cum di-
 scipuli ipsum monerent, ut igne cœ-
 litus misso, contemptores suos deleret,
 eos increpuit: ἄνθρωποι οὐκ ἐστὶν
 τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου
 εἰσελθεῖν ἑρῆσαι ἀνί-
 μους, ἀλλὰ σώσειν αὐτούς.* Filius enim ho-
 minis non venit ad perdendum
 animas hominum, sed ad ser-
 vandum Luc. 9. 55. 56. Quam-
 quam autem per ejuscemodi fa-
 cta Deum se esse quoque demon-
 straverit, cui nihil impossibile
 esset; a vi tamen omni absti-
 nuit. Venit quidem Salvator no-
 ster in mundum, ut servaret a-
 ni-

animas hominum: Aft non, ex
 opinione Judæorum, eidem fi-
 mul propositum fuit, ut regnum
 quoddam in his terris, feu sta-
 tum aliquem erigeret: ad quem
 condendum infigni hominum
 multitudine opus eft; cum con-
 tra Discipuli ejus, tam exiguo
 numero constarent, & præterea,
 inermes ac inopes essent, ut ne-
 que ipsi *statum constituere, neque*
in alieno violentum aliquem motum
producere, aut res movere valerent.
 Puffend. de hab. relig. p. 37. Illi
 nequaquam pari modo ab eo de-
 penderunt, prout ab imperante
 aliquo Cives solent, verum ut à
 Doctore Discipuli. Porro ius
 nunquam dixit. Ne arbitri qui-
 dem manus ab eo susceptum est.
 Multo minus in mentem ipsi un-
 quam venit, cum subinde ad E-
 um ingentes hominum cætus,
 doctrinam auscultandi, & mira-
 |cu-

cula spectandi gratia, conflue-
 rent, eos imperio suo subicere,
 aut obsequio civili, cui hactenus
 adstricti fuerant, subducere.
 Quin potius alieno imperio ob-
 noxius, ita pauperum se profes-
 sus est, ut ne quidem haberet,
 ubi ipse caput reclinaret, Matth.
 VIII. 10. Postremo, quod ma-
 gis est, toties citatus Puffend.
 §. 14. p. 39. *tributum*, inquit,
ipse aliis exsolvit, nec non in
ius se rapi, supplicioque affi- i passus
est; quæ omnia a persona Principis
abhorrent. Quare etiam extra o-
 mnem dubitationis aleam posi-
 tum est, Christum in his ter-
 ris nullum exercuisse imperi-
 um, ut eo homines ad religio-
 nem & doctrinam suam ample-
 ctendam adgeret; sed ejusmodi
 mediis usum fuisse, quæ ad a-
 morem & gratiam eorundem al-
 liciendam imprimis apta forent
 atque idonea. §. VIII.

§. VIII.

Non opus est hariolari, quid hic statuendum sit de Apostolorum doctrina, illam enim non ipsi excogitaverant, sed à Magistro suo acceperant; unde nec a sanctissimis ejus dogmatibus potuit esse diversa. Primum quidem occupati erant erronea ista opinione, quæ tunc temporis inter Judæos invaluerat, quod nimirum Christus imperans quidam foret, qui universum mundum subigeret; sed postmodum tam ipso eventu, quam immediata Spiritus Sancti illuminatione docti, aliter sapere didicerunt. Quare tam Judæos, quam gentes, de vero Christi officio fideliter instruxerunt. Scripta Apostolica satis superque docent, quam eorum doctrina, ab omni coactione fuerit remota. Verum dicas eos pœnas æternas commi-

na:

natos fuisse illis, qui doctrinam suam rejicerent. Quæ autem validior vis esse potest, quam ubi quis metu æterni mali percellitur? Respondeo: Medicus etiam ægroto mortem denunciat, si medicinam admittere noluerit, eam tamen ob causam imperium in illum non habet. Sic Apostoli, & alii Evangelii Ministri judicia Dei hominibus aperiunt, ipsi vero judiciariam potestatem ideo non exercent.

§. IX.

Neqve in praxi Apostolica quidquam Imperii aut coercionis deprehendimus. Quomodo homines singuli vel bini & quidem inermes doctrinam suam integris populis modo violento impingerent? Dono quidem miraculorum instructi erant, sed quo ut ipse Christus, utebantur
ad

ad epitulandum, non vero ad nocendum aliis. De singularibus quibusdam factis in sequentibus agemus. Apostoli in Ecclesias à se plantatas inspectionem habebant, non ut magistratus, sed ut doctores, qui in vitam & mores auditorum inquirerent. Constituebant quoque alios, qui post abitum suum docendi munere perfungerentur, non tamen illos Ecclesiis invitis obtrudebant. Hi enim Doctores, aut ab ipsis Christianorum cœtibus eligebantur, aut ab Apostolis electos sponte recipiebant Ecclesiæ, de prudentia Apostolorum, & sincera voluntate persuasæ. Alias præterea Ecclesiæ necessitates curabant Apostoli; ast communicato cum ejus membris consilio, & cum eorum consensu, quod vel sola ordinatio Diaconorum Actor. VI. descripta ostendit. Neque Le-
ges

ges ferebant. Canones & Constitutiones Apostolorum, quos circumferunt Pontificii, inter spuria & supposititia dudum retulerunt viri eruditi. Et valde errant, qui ex I. Tim. Cap. V. v. 19 eruere volunt, quod Paulus processum judicarium præscripserit. Ut Doctor Θεόπιευσ & tradit regulas prudentiæ pastoralis, quod versus 20: mus indicat, ubi Timotheo in mandatis datur, non punire, sed *ἐλέγχειν τὰς ἀμαρτάνωντας*. Jurisdictionis ab Apostolis exercitæ, ne vestigium quidem occurrit. In Concilio Hierosolymitano aderant, præter Apostolos, & Presbyteri, & cæteri Christiani, qui omnes jure suffragii gaudebant. Actor. XV. v. 22. verba sic habent *τότε ἑδέξατοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλη τῇ ἐκκλησίᾳ*. Idem evincit Epistola, qua concilii decretum continet.

tinebatur, emphatica satis inscriptio v. 23. obveniens. Concedimus occurrere extraordinaria quædam Apostolorum facta, Sic jubente Petro, Ananias & uxor ejus Saphira ob partem pretii agri venditi fraudulenter subductam in terram procidebant exanimes, Act. V. v. 10. Elynam Magum cæcitate afflixit Paulus Actor. XIII. v. 11. Hæ & aliæ ejus generis actiones, neque cum Apostolico munere erant necessario nexu cõjunctæ, quod per se evidens est, neque vim imperii civilis importabant, quippe quæ humanam potentiam superarent, sed potius considerari debent, ut singularia manifesta justitiæ Divinæ, inter largos gratiæ imbres, fulmina quædam vibrantis, ne homines Evangelio ad securitatem abuterentur. **Et consideratio circumstanti-**

tiarum satis confirmat, ejusce-
modi mala hominibus inflictâ
non fuisse, ut eorum terrore per-
culsi religionem Christianam am-
plecterentur; quare nullum inde
sententiæ nostræ periculum im-
minet.

§. X.

HÆc forte sufficere possent,
H pro vindicanda religione
Christiana à suspicione coactio-
nis. Doctrina enim & praxis
Apostolorum sunt regula & ex-
emplar Christianismi. Et quis plu-
ra tibi arrogaret, quam quæ
hunc intra modum subsistunt?
Videmus tamen religionem in
Papismo instrumentum quod-
dam tyrannidis factam fuisse; un-
de infinitæ calamitates in Eccle-
siam & Rempublicam provene-
runt. Ut autem tenebras mun-
do offundant Regni Papistici pro-
pugnatores, ab ipsa institutione
Chri-

Christi & Apostolorum, Hierarchiæ suæ Ecclesiasticæ originem repetere conantur, I. dicunt Christum non solum prætulisse Petrum reliquis Apostolis, sed etiam illi in hos potestatem aliquã concessisse, adeoque eidem, ut Vicario suo in terris constituto regimen universæ Ecclesiæ commisisse. II. Affirmant & Petrum & reliquos Apostolos huic subordinatos constituisse Episcopos, qui potestate delegata, reliquo Clero præessent, III. Contendunt, Ministris inferioris ordinis, qui Episcopis huic immediate subiecti erant, jus regendi Ecclesiam, ceu infimo in subsellio comperivisse, Unde sequeretur in ipsa Ecclesia Apostolica existitisse imperium Monarchicum, quod in Petro incipiens per Apostolos & Episcopos se exseruisset, usque dum infimo in Clero terminaretur.

tur, cui omnes Laici substrati
 fuissent. Et IV. quum ipsa Petri
 potestas, ex opinione Papistarum
 in Romanum Pontificem deriva-
 ta sit, hujus etiam est variæ di-
 gnitatis Magistratus sacros con-
 stituere, quorum alter alteri sub-
 ordinatione continua, universi
 autem Pontifici parent. Sacrum
 hoc imperium religionem in sua
 manu habet. Quod illud circa
 dogmata & praxin determinave-
 rit, omnes Christiani recipient.
 Et qui secus fecerit, præter cen-
 suram excommunicationis, aliis
 quoque suppliciis, iisdemque gra-
 vissimis adficietur. Hæc sunt illa
 vincula, quibus Hierarchiæ
 Papisticæ structura constringitur.
 Atque ista *ἐπισηµατα* Theologi ju-
 xta ac læti, & Politici Protestan-
 tes adcurate examinarunt. Nos
 pauca tantum delibabimus. Pe-
 tri primatus gratis asseritur, ne
 dum

dum imperium aliquod in cæte-
 ros Apostolos illi concedi potest.
 Luce meridiana clariora sunt
 Christi verba apud Lucam Cap.
 XXII. 25. 26, quorum Petrus
 non erat oblitus. Paulus 2. Cor.
 XI. v. 5. dicit se non esse inferi-
 orem summis Apostolis, inter
 quos utique intellexit Petrum,
 cui *κατὰ πρόσωπον ἀντίση*, Gal. II. v.
 11. Hanc reprehensionem fuisse
 simulatam frustra asserit Hiero-
 nymus, cui recte opposuit Au-
 gustinus, Paulum sic mendacii
 argui debere, si in re tanti mo-
 menti, veritati fucum inducere
 voluisset. Quid? Ipse Petrus *πρεσβυτερον*
πρεσβυτερον se vocat, 1. Epist. C.
 V. v. 1. quod certe non dixit eo
 sensu, quo Papa, titulo servi ser-
 vorum utitur, quum in ipsos do-
 minos potestatem sibi arroget.
 Talis simulatio in candidum il-
 lum Petrum cadere non potuit.

Largimur, quod in Ecclesia Apostolica varia officia fuerint, quæ celeberrimus Buddeus ad tres Classes revocat, quarum prima erat docentium, altera miracula patrantium, tertia alia munia administrantium. Docentes erant Episcopi, sic dicti ob inspectionem in vitam Christianorum, cum ipso docendi munere connexam. Idem Presbyteri etiam vocantur. Neque illo tempore inter Episcopos & Presbyteros discrimen aliquod intercedebat. Conf. Act. XX. v. 28. cum v. 27. Tit. I. v. 5. cum 7. & 1. Pet. V. v. 1. cum 2. Et horum commune erat munus *παιδαίειν τὴν ἐκκλησίαν τῷ θεῷ*. Actor. XX. v. 28. Buddeus in Eccles. Apost. p. 124. Sic scribit: Docentium primo loco meminit (de Paulo loquitur,) non quod illorum ali-

quod

quod in reliquos sit imperiū aut⁶
 civilis quædam ἐξουχίη, sed quia⁶
 ipsa illa functio præstantissima⁶
 est ob utilitatem, immo pror⁶
 sus necessaria, adeo ut sine ea⁶
 Ecclesia nec conservari possit,⁶
 nec propagari queat; immo &⁶
 sine ea reliquorū tum donorum,⁶
 tum officiorum, aut nullus, aut⁶
 exiguus futurus fuisset usus. Ne⁶
 que hi Doctores in alios Christi-
 anos aliquod imperium sibi ven-
 dicarunt. Emphatica satis est ad-
 monitio illa Petri 1, Ep. Cap. V.
 V. 3. μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλη-
 ρόνων. Per Cleros hic non intelligi
 Ministros verbi inferioris ordinis,
 sed auditores, oppositio imme-
 diate subsequens: ἀλλὰ τύποι γινώ-
 μενοι τῆ ποιμνίᾳ evidenter common-
 strat. Quorum enim futuri e-
 rant typi, in hos dominari non
 debuerunt. Quod vero per gre-
 gem

gem denotentur auditores ipsi, Pontificii concedunt. Hinc apparet, distinctionem inter clericos & Laicos isto tempore ignotam fuisse. Neque in scriptura novi fœderis vestigium ullum comparet subjectionis illius spiritualis, quam Clericis deberi Laicos jus Canonicum, Pontificum Bullæ, & alia scripta papistica ad nauseam usque inculcant. Num Petrus fuerit Romæ nec ne, nondum ad liquidum perductum est; id vero nemo probabit, quod imperium aliquod Ecclesiasticum Romæ condiderit, ad successores transferendum, de quo Episcopi Romani, aliquot post secula, ne somniarunt quidem. Straminea igitur sunt illa fulcra, quæ pro sustinenda hierarchia Papistica, ex Ecclesia Apostolica proferuntur. Et frontis perfrictæ sunt, qui regnum tenebrarum ex
 ista

ista temporum luce repetere non erubescunt.

§. XI.

QVandoquidem Papistæ potestate clavium & excommunicatione turpiter abutuntur, ad impotens dominium exercendum; dispiciamus, num in hisce institutis aliquid imperii lateat. Potestatem clavium Christus confert Petro Matth. XVI, v. 19, & ceteris Apostolis, Joh. XX, vers 23, Per se patet, vocem clavium hic in sensu metaphorico obvenire. Quid autem ista Metaphora designetur, ex ipsa rei natura est intelligendum. Agitur hic de cælo clauso, & per hasce claves aperiendo. Quâdiu peccatorum reatus manet, homo exsulat à cælo. Igitur ut cæli incola fiat, præcedere debet peccatorum remissio. Hæc vero prærequirit fidem, sine qua

49
locum habere nequit, & quam
præsentem omnino consequitur.
Unde si minister Ecclesiæ, qui
in jura hæc Apostolica successit,
absolverit à peccatis hominem
fide carentem, in foro poli nihil
valet. Et si hominem peccata
agnoscentem & credentem, vel
errore vel privato adfectu absol-
vere noluerit, coram tribunali
Divino, est absolutus. Et quum
nemo mortalium fidem alterius,
omniscio tantum oculo patentem,
perspicere valeat; nec peccatorum
remissio ab ullo homine huic vel
illi individuo absolute denunci-
ari potest. Quare potestas hæc
ad solam prædicationem verbi
est restringenda, quæ solvit, ubi
peccata propter Christum remit-
ti denunciat, ligat, ubi nullam
penitentiam agentes in reatu hæ-
rere docet. Sed jus docendi cum
imperio nihil commercii habere,
antea

antea probavimus Nec mōstrabit
 pars adverſa, Apoſtolos poteſta-
 te clavium, in modum domini
 uſos fuiſſe. Quid vero dicendum
 de excommunicatione. Num il-
 la eſt imperioſa? Accipimus ex-
 communicationem in eo ſigni-
 ficatu, ut denotet excluſionem
 à communionem Eccleſiæ Exter-
 næ & viſibilis. Quid responden-
 dum ſit, apparebit, ubi originem
 ejus inveſtigaverimus. Primi
 Chriſtiani, ut notum eſt, vixe-
 runt, ſub magiſtratu gentili. Mul-
 ta ſecundum Leges & iſtituta
 gentilium pro licitis habebantur,
 quæ diſciplina Chriſtiana prohi-
 bet & averſatur. Exoſum quo-
 que Gentilibus erat Chriſtianum
 nomen. Unde quorundam pec-
 cata univerſum cœtum Chriſtia-
 norum in periculum adducere
 potuerunt. Nec parum remo-
 ræ inde progreſſui Evangelii ob-
 jicie

jiciebatur. In tali rerum statu, non aliud consilii superfuit Christianis, quam ut membra ejusmodi noxia suo e numero exterminarent. Atque hoc factum est, non sola docentium auctoritate, sed cum consensu totius Ecclesiæ. Tantum vero abest, ut hinc imperium aliquod interatur, ut potissima hujus rei causa sit, quod nemo in cœtu eorum esset, potestate coactiva instructus. De cætero hæc separatio nihil infamiæ secum habuit conjunctum, quum exclusi omnibus civitatis juribus nihilominus fruerentur. Et quid detrimenti alicui importaret excommunicatio, quo tempore ipsi Christiani ob solam religionis professionem gravissimis malis affligebantur? Ubi excommunicati reciperentur in sinum Ecclesiæ, publica pœnitentia exigebatur;

batur: non certe in modum pœ-
 næ, sed ut societas tota de seria
 redituri recipiscentia persuadere-
 tur. Jam externa Ecclesiæ faci-
 es aliter est comparata, ex quo
 ipsi Principes illi accesserunt. Pec-
 cata verbo Dei prohibita, leve-
 rissimis legibus & exquisitissimis
 pœnis castigantur. Ubi tota ci-
 vitas religionem Christianam est
 amplexa, ex delicto hujus vel il-
 lius membri nihil periculi eidem
 existere potest. Unde sequitur,
 tantam jam non reperiri excom-
 municationis necessitatem, quan-
 ta olim erat, quum cœtus Chri-
 stianorum Gentili imperio obno-
 xius ageret. Quin alium pror-
 sus nostra ætate sortitur effectum.
 Nam qui ex communione Ec-
 clesiæ ob gravia delicta ejicitur,
 infamiam contrahit. De fama
 autem civium judicare Ecclesiæ
 quæ tali non convenit. Quare
 pro-

provide omnino factum, quod Principes protestantes ipsi hoc jus exercent. Unde quæ apud nos in usu est, refert indolem pœnæ civilis. Quod autem quis ob scelera manifesta, extrudatur a societate, pietatis & virtutis exercendæ causâ instituta, inde religio nullam patitur coactionem. Et si præter jam allata, aliquid in se comprehendit (quod Theologis excutiendum relinquimus) neque id pro pœna propriè sic dicta, sed pro disciplina, ad emendationem errantium adhibita æstimari meretur.

§. XII.

Sic proscripsimus ab Ecclesiâ imperium. Hoc posito, frustra quæritur, quænam ibi regiminis forma obtineat, de quo Papistæ inter se tantum dissentiunt, quum pluribus Monarchica,
non-

nonnullis Aristocratica, vel saltem aliquod inter utramque temperamentum arrideat. Ecclesia societas est, quam docentes & auditores constituunt. Societates autem sine imperio consistere posse certissimum est. Diversæ Civitates in societatem coeunt mutuae defensionis ergo, quarum una in alteram non imperat. Veritatis investigandæ causa literaria collegia instituuntur, ubi quilibet suas cogitationes aperit; nemo autem pluralitate suffragiorum cogitur, ut verum admittere, quod putat esse falsum. Russorum Imperator non ita pridem erat membrum Academiæ scientiarum Parisiensis, in quam nullum imperium sibi arrogavit. Si secundum ante dicta ipsi Principes in Ecclesiam qua talem potestatem non habent, quanto minus convenit uni vel pluribus ex
ordi-

ne docentium in illam imperium sibi tribuere, a Christo & Apostolis, tam severe prohibitum, & inter characteres Aniti-Christi relatum.

§. XIII.

NE autem quis existimet, nos in summos imperantes injurios fuisse, ubi religionem à potestate civili exemptam esse contendimus, sententiam nostram, de jure eorum circa sacra, ulterius explicabimus. Et quum tanti ponderis negotium hac brevitate includi non possit, summa tantum capita attingemus. Idem, qui constituunt Ecclesiam, sunt quoque membra reipublicæ. Inter illos etiam, qui Christianismum profitentur multi sunt pravi. Hi religione sapius abutuntur ad exercendam nequitiam. Gravissimum est, quod ejus prætextu haud raro turbas concitent

in republica. Nihil enim efficacius ad commovendos hominum animos, quam religio. Et prout in sua sinceritate manens, est validissimum societatis vinculum; ita hominum pravitate, in seditionis instrumentum converti potest. Tales ausus, quamcunque speciem pietatis præbeant, necessarium est rigide compescere, & in herba opprimere, ne malum altiores radices nactum, in exitium civitatis erumpat. Dantur quoque simplices, qui vel ipsi præjudiciis infecti, vel ab aliis in errorem inducti, pro illicitis reputant, quæ re ipsa licita sunt, & fieri oportere, quæ neutiquam admitti debent, adeoque jussis imperantium obsequium aliquando præstare detrectant. Hi si quidem exploratum fuerit, eos non dolo malo errare, comiter sunt instituendi, & erroris

convincendi. Verum si minus hoc modo in viam revocari possint, quorundam ignorantiae & stultitiae tantum indulgere non licet, ut respublica inde quid capiat detrimenti. De hoc persuasus sit Princeps oportet, quod vera religio nihil in se contineat, societati humanae & civili contrarium. Quare ubi certo constiterit, doctrinam aliquam vel cultum talia in se comprehendere, de falsitate illius, vel inde concludere licebit. Ergo Principi est examinandi doctrinas publicas, & inter has quae religionem concernunt, num forte in illis lateat, quod olim civitati minetur periculum. Ad varia pariter Ecclesiae instituta attentionem convertat visurus, an illa quid in recessu habeant, reipublicae juribus minus conveniens. Idem circa conventus Ecclesiasticos e-

andem ob caussam observaret. Quamvis autem Ministros verbi eligere ad Ecclesiam pertineat; hic tamen dispicere potest, ne quis per Simoniam, & alias pravas artes, ad munera sacra perveniat. Et parum certe religiosus videretur, si qui animarum curam gerunt, hos esurire pateretur, quum omnia affatim suppetere illis, quibus eorum domatio est commissa. Nihilominus, ut in cæteris, ita hic etiam servandus est modus. Experientia namque probat, nimios proventus, Ecclesiæ Ministros ad socordiam & luxuriam invitasse. Palmarium imperii officium est cavere, ne quisquam civium ulla injuria adficiatur. Quod vero malum alicui inferatur ob religionem, eo magis indignum est, quia hæc in se innocua, mala & injurias ab ho-

D

mi-

minum societate avertere studet. Inprimis cavendum, ne Doctores Ecclesiæ, ubi sine privato respectu prudenter & modeste officium elencticū exercent, ideo male habeantur. Quin etiam, ubi controversiæ circa religionem exstiterint, Principis est curare, ut dissentientes agant sine odio & convitiis. Novimus enim, non aliud magis impedire veritatis inquisitionem, quam exorbitantes affectus. Et absurdum admodum est doctrinæ, mutuæ dilectionis Magistræ, ambitionis & odii Ministerium deferre. Ubi simpliciores vident, viros doctos, tanta cum acerbitate digladiari de veritatibus, quæ certissimæ esse deberent, totum religionis negotium in dubium vocant; unde via patet Atheismo, quo nihil magis reipublicæ damnosum. Quamobrem, si quis
hic

hic limites officii migraverit, & religionis prætextu insultaverit aliis, hunc justa pœna in ordinem redigere convenit. Multa insuper ambiunt religionem, quæ ipsam ejus naturam parum attingunt. Inter alia huc pertinent ritus, in quantum nihil involvunt, præter decorum, quod Lex divina naturalis & Revelata non determinavit. Ista in se indifferentia, ad decus ac ordinem in civitate servandum, plurimum adferunt momenti. Quare Principem decet, etiam in hoc publicæ rei habere rationem. Ut omnis, circa religionis cultum, ornatus, non est omnino damnandus; ita pro irrefragabili habetur, quod copiosior rituum, cæremoniarum & ornamentorum congeries, rapiat in se animos hominum, qui ad Deum essent convertendi. Rude præcipue

cipue vulgus, neglecta pietatis
 medulla, hoc in cortice hæret;
 unde prodit superstitio, fœtus
 ille civitatibus valde ominosus.
 Præterea pompa illa sustineri ne-
 quit, sine sumptibus, qui in alios
 reipublicæ usus rectius impende-
 rentur. Hæc & plura Imperan-
 tum jura circa religionem, ita
 sunt comparata, ut eorum arbi-
 trio, & potestati ipsa non ideo
 submitatur. Ex dictis igitur
 constat, quod religio immunis
 esse debeat à coactione.

S. D. G.



Fratri suo Carissimo,

Dum publico Specimine, Religio-
nem immunem esse a Coactione
probaret.

*Q*uo difficilius est argumentum, quod
aliquis pertractandum suscipit, eo
intensorem industriam & majorem exie-
git eruditionem. Norunt autem omnes,
qui aliqua rerum cognitione gaudent,
non minus in Republica Literaria quam
Civili, hac de questione acriter concerta-
tum esse; num religio vi quadam & co-
actione propagari & conservari queat.
Nec desunt, qui nostro etiam tempore
diversas hic partes tueantur. Gordium
hunc nodum, Frater Dilectissime, feliciter
solvistis, demonstrans, & Rationem &
Revelationem, a negotio religionis ausus
violentos procul removere. Meum igitur
est, publicum hoc specimen doctrinae, publi-
ca prosequi gratulatione. Adsit Supre-
mus rerum nostrarum Moderator cona-
tibus tuis, eisdemque provehat ad fines
sibi acceptos, Ecclesiae & Reipublicae uti-
les, Tibique jucundos!

*Ita animo sincero gratulari
voluit*

Ad. O. Paulinus
Tavastensis.

In Dissertationem, Pereximii
Respondentis.

Letantur certe amici rebus amicorum suorum prosperis. atq; arctissimum illud amicitiae vinculum, hoc omnino postulat, ut de alienis, aequè ac suis de rebus feliciter gestis, gaudium sestentur singulare. Quod si autem Praestantissime Dn. ansam ullis letandi praeuisti, ut praeuisti certe plurimis; Dissertatione hac tua, quam De immunitate Religionis à coactione, erudite consignasti, mihi certe maximam plaudendi fecisti copiam, adeo, ut temperare mihi met haud potuerim, quominus candidum erga Te affectum, paucis hisce, publice declararem. Et prout indefessa Tua opera, praecleara virtus, ac solida eruditio, altius omnino commeterunt elogium, quam quod tenuis mea Minerva suppeditare valet; ita hunc defectum votis supplicabo calidissimis, velit Summum Numen, majores Tibi indies largiri progressus, faciatq; ut studia Tua, in Summam vergant gloriam, communi omnium salutem, ac tandem Tuam, Tuorumq; gaudium dulcissimum, certissimum!

Ita uouet Tui officiosissimus
Salomon Stichæus Fil.